



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Mortificatio vitiorum, sensualitatis, delectationumq[ue] quam sit cuique  
necessario adsumenda: quomodo item ea quoque cum fructu exerceri  
debeat. Cap. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Mortificatio vitiorum, sensualitatis, delectationumque, quam fit  
cuique necessario adsumenda, quomodo item ea quo-  
que cum fructu exerceri  
debeat.*

## CAPVT XXIX.

**Q**Vamdiu ad exterioris hominis dispositionem tantum respicis & illum duntaxat fatigis regere atque in tranquillitate seruare, nihil agis. Semper enim in pugna, semper in conflictu verseris, necesse erit, quandoquidem in teipso, hoc est, in interiore homine tuo tēcationem omnium & inquietudinem circumfers fomitem & semen. Oporter igitur vt interiore hominē persequaris, vt teipsum abneges, exuasque veterē hominē, & mortifices concupiscentias tuas, si vel vnā virtutē perfectē volueris possidere. Parum enim iuuat exterioris in rectitudine seruare, si interiora tumultuātur. Sunt nonnulli quoque qui a passionibus non sunt liberi, consistunt tamē linguam & reliquos sensus, ne foras eripant, quod possit reprehendi. Hi propterea sunt laudandi, quod suis dominentur membris, ne arma dent eadem iniquitatis ad iniquitatem: sed imperfecti nihilominus adhuc sunt, vt pote qui virtutes & ea quæ recta sunt non querunt ex affectu, sed cogunt semetipsos per rationem, vt seruos (licet non sine recalcitatione naturæ) quo maneat Deo subiecti. Hi si hoc faciant tantum pro humana honestate, nihil aut parum faciunt, verbi gratia: Si linguam quis suam exasperatus aut offensus continet, propterea ne cogatur reconciliationem querere, si læderet, aut ne inhonestus appareat, opinioneve habeatur exinde minor (nisi & hoc) quod est honestum aut opinione clarum esse (pure appetat propter Deum) euadit certe penam peccati, quia non deliquit: virtutem tamē nondum obtinet veræ mansuetudinis ac patientiæ. Hæc enim patientia sola est virtus, quæ propter Christum exhibetur. Nec vlla dici debet virtus, cuius finis causa & scopus non fuerit Deus. Magno conatu & studio tibi vigilandum est, multaque oratione Deus pulsandus, vt sensualitatis desideria circa oblectationes creaturarum in te mortificentur. Cogitationes enim & concupiscentiæ quæ incidunt hoc modo. Quæ iam hoc illudve habere si tibi aut tibi fore, ô quam esset hoc pulchrum, quæ suauis quam bene olens, quam vtile &c. quæ sub specie boni, vtilis aut delectabilis, occurrunt, aut omnino non sunt admittendæ, aut ilico vbi incederint expellendæ. Nam & si creaturarum vsus pro tempore, loco, personarumque conditione licitus sit, ijs tamen non necessario, sed ad seruiendum concupiscentiæ vti, atque in eisdem consolationem & requiem querere, est grave & periculosum. Nā in solis quoque cogitationibus affectionibusque huiusmodi (quamuis non queratur perficiendæ) quiescere, aut easdē fortiter non continere, ac viriliter impugnare, maximum est ad perficiendum impedimentum, ac ruinæ proximum. Si cuiuspiam rei desiderium cor tuum fatigauerit, cogita eandem rem te iam habere, aut habuisse, vsuque te fatigatum esse: dic autem Domino Iesu: *Domine Iesu propter te minus et consolatione libenter carere volo.* Si ita feceris, de necessitate facis virtutum

Mortificatio vitiorum quam fit necessaria.

Rom 6.

Patientia quando fit virtus & quādo non.

Sensualitatis desideria quanto studio mortificanda sint. In creaturis non delectandum sed necessitas querenda.



VI  
6

virtutem, diabolusque inde vehementer humiliabitur. Nemo te laedere, nemo tibi nocere potest, nisi ipsum te laeris. Erras, si ab hoc, aut ab illo proximo tuo te putaveris laesum. Verius dic: A meipso, hoc est, a superbia & impatientia mea sum laesus. Quid enim aliena te derisio, obrectatio, persecutio vel laederet, quid tibi possit nocere, si tu in teipso compositus, tranquillus, patiensque manseris? hoc est, quando aliena te laederet malitia, si in teipso nihil fuerit inordinatum quod te torquet? Vniuersus (crede) tibi mundus haud nocebit, nisi tibi ipsi nocet. Sine igitur omnes contra te insanire, tu in simplicitate cordis permane. Tibi irascantur omnes, tu nemini irascaris. Tace velut in sepulchro mortuus, & vide quid valeat contra te mundus. Certè nihil aliud facient, præter coronam quam tibi fabricant inimici tui. Væ tibi superbia, quare ita non sentis? O Deus meus eripe me, & libera me a superbia mea, quæ se in omnibus nititur propugnare. Si delectationes sensuum, carnisque superfluas vel inuicelarias amputare velis, oportet vt violenter constanterque desiderio tuo resistas, non fluctes, non corde discipules, nec diu super hoc deliberes? sed impetu, quodam sancti feruoris te cogas ad aliam partem, & cogitationes te impugnantibus ex aduerso non andias, sed dissimulas, & fortiter cum ratione virtuti opposita hære. Hoc studium tamen sensu contrariū sit, sapiat affectui, sapiat rationi, conscientia & intellectu. Quod satis erit. In illa re mortuus diceris, de qua nec cogitas, loqueris, & ad quam non afficeris. In hac verò, quæ cogitas, appetis, diligis &c. haudquaquæ mortuus es. Quia vè d. necesse est te mundo, tibi, voluntati, desiderijs passionibusque tuis fore mortuum, & Christo soli viuere, prouidendum est, nihil de mundo, de peccatis, de oblectationibus quoque tam carnis quam seculi in corde, ore, aut actione tua versetur. Christus solus cor tuum possideat, eiusque passio ac diuinitas. Ea quoque quæ absque medio te ducunt in Deum, vt sunt virtutes, Dei amor, Dei gratia, deuotio sancta, horumque desiderium, semper tecum familiariter versentur. Præter Christum itaque nihil in te viuat. O quam breuis est consolatio, delectationis consolationis, & stranæ seu peregrinæ, qua Dei gratiam negligis, tempus perdis, meritum amittis, atque pronitatem infirmitatemque quotidie maiorem tibi comparas ad labendum. Paulò ante quæ tunc placebant audisti, puta musicam & cætera. Ex ijs quid habes modo? aut inde, præter implacatamque turbatam conscientiam cogitationibus plenam, quid lucratus es?

Noceri non posse hominem ab aliquo nisi a seipso.

Delectationes sensuum superfluas quomodo amputanda.

Mortuus in qua re quis dicatur.

Christus vti solus viuere debeat in nobis.

*Labor & pugna aduersus vitia propria quam sit utilis: voluntas propria ac curiositas sensualitatis quomodo mortificanda sint.*

CAPVT XXX.

**N**on putes vitia posse mortificari, desideria frangi propria, cum delectatione, vt pote quæ vix labore improbo, frequenique anxietate ac triquitia cordis reluctantis vincuntur. Neque enim ociose dictum est nobis: Regnum caelorum vni patitur, & violenti rapiunt illud. Qui ergo suis desiderijs iracundiam, qui violentiam vitij suis imponere norunt, sperare habent se mortificationem sanctam adepturos. Propterea tamen tu noli à labore studioque cessare.

Mortificationem sanctam sine labore non obtinere. Matt. 11.